

per petuō motu, perenniō; luminis & virtutū effluxu conservat; sed & no-
va nonnunquam prioribus addit, eaq; vicissim, ubi quod in mandatis ha-
buerunt expeditum est, velut in fumum aut nihilum convertit. Ethic est
primus ille, quem Cometæ respiciunt, finis s. scopus, Gloria nimirum divi-
ni Numinis.

Sed ut nihil est primo creationis tempore productum, quod non ver-
gat ad hominum salutem; ita nec hodiè quicquam in mundi scenam de no-
vo velut introducitur, quin tendat simul ad eundem finem. Cometa proin-
de, sicut inter astra laudem & honorem Dei decantat, ita hominum ad sa-
lutem accensus cum aliis, quæ nobis inserviunt, sideribus in cœlo refulget.

Sed quid Claudianus:

Et nunquam terris spectatum impune Cometæ?

Item vulgus ex proverbio græcorum: Οὐδεὶς κομήτης ὅσις ἡ κακὸν Φέγη, i.e.
Nullus Cometes visus, qui malum nō ferat? Fateri cogor, quod ex historiâ con-
stat, plurima mala Cometam insecura nonnunquā fuisse, quod, ne ad prisa
tempora abeam, hoc ævo, cum primis post cometiferum annum 1618. ipsi
nos experti sumus. Verūm quid hoc prohibet, quo minùs adhuc ad homi-
num salutem accendi Cometa dici possit? cum ipsa mala s. pœnæ, s. casti-
gationis ex intentione divinâ bonis eò cedant, tantùm abest, ut signa mali,
si quæ dantur, illum finem ultimatò non respiciant. Esto igitur, Cometam
semper mali quid portendere, certum tamen est, eum nobis malum illud ne-
quaquā obtrudere, sed severiore vultu securos tantùm monere, ut caveant
sibi, precibusq; devotis, vitæq; suæ emendatione malum imminens subter-
fugiant. Huc spectat, quod S. Augustinus in libro de urbis excidio tomo 9.
dixit de quodam seu Comete seu, ut Ricciolus loquitur, chaumate, quod
iminebat circa annum 496. Constantinopolitanæ urbi. *Volens siquidem*
DEUS, ait S. August. *terrere civitatem, & terrendo emendare, terrendo conver-*
stere, terrendo mundare &c. Nottiis initio tenebrante jam mundo visa est ignea
vubes ab Oriente primo parva, deinde paulatim ut accedebat super civitatem ita
cresceret, donec toti urbi ingens terribiliter immineret. Videbatur horrenda
flamma pendere, nec odor sulphuris deerat: Omnes ad Ecclesiam configiebant,
non capiebat multitudinem locus: Baptismum extorquebat quisq; à quo pote-
rat &c. Quid dicemus, concludit deniq;, utrum in ista DEI an potius miseri-
cordia fuit? Prorsus sic solene manus erigi adferendum, & consternato illo, qui
feriendus erat, miseratione revocari.

Non tamen semper malorum signa Cometæ esse, quin potius, licet
plurimi sint infelices, nonnullos fausti quid secum trahere videtur, si
non